

EPISTOLA

*Qui fit Mecænas vt nemo sibi
Sortem securatio, seu sors obiecerit illa
Contentus viuat, laudet diuersa sequentes?*

Discamus ergo ταπεινοφροσυλω, quæ nos ab omni propriæ facultatis confidentia, procul auocat, & omni gloriandi materia destitutos ad summisionem adducit. Vitemus & πολυπεγγυοσυλω, sed potius faciamus diligenter nostræ vocationis officia, & nosmetipsos intra metas nostræ infirmitati & vocationi conuenientes, continemus. Cogitemus etiam in quem usum in hac vita simus conditi, & ut id, ad quod simus conditi, præcipue agamus. Habet enim unusquisque suam priuatam vocationem in hac externa vite conuersatione, cui diligenter remota omni supina oscitantia, est seruiendū. Consideranda sunt & paulò altius perpendenda dicta illa: Deus resistit superbis, humilibus autē dat gratiam. Et, dispergit superbos mente cordis sui. Item: Oculos superborum humiliabis. Arrogantia & affectus regnandi summū Angelum seduxit cum sua cohorte. Idem errans affectus & seductrica desideria promanarunt inde in uniuersum genus humanum, & tenacissimè hoc venenum (Eritis sicut Dij) in omnium cordibus hæret, carni, ossibus & me-